DISSERTATIO
INAUGURALIS
METAPHYSICO-PHYSIOLOGICA,
FACULTATES VITALES, DUBIO METHODICO PRÆMISSO, EXHIBENS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI LUDOVICI KESTELOOT,

Med. Chir. art. obst. doct. in facultate Med. Prof. Ordin.

NEC NON

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDECINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GANDAVENSI,

RITÉ AC LEGITIMÈ OBTINENDIS,

PUBLICÈ DEFENDET,

Joannes de Belie, ex Waesmunster.

Die Sabati 8 Julii MDCCCXXVI, horâ undecimâ.

GANDÆ, TYPIS A.-I. VANDER SCHELDEN, IN PLATEA DICTA ONDERSTRAETE, N.° 31.

Ex præscripto art. 56, legis Acad. opiniones in Dissertationibus propositæ illarum auctoribus propriæ et a Facultate nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

Matri Carissimæ Sacrum.

THE PROPER STUDY OF MANKIND IS MAN.

POPE.

L'étude la plus propre à l'homme, c'est l'homme même.

PROŒMIUM.

Etsi non magnoperè honorificum est scientiæ principia cognoscere, esset saltem summum dedecus eadem ignorare; attamen hæc ignorantia adhuc sat communis est, nam plurimi eruditâ quasi eloquentiâ ducti, de phœnomenis quibuscumque diffusè disserunt, variasque sine scrupulis ac contradictorias theorias amplectuntur, absque eo, quod nequidem ullum vel simplicissimum factum, ad elementarem suam naturam reducant; dum alii ita ratiocinantur, acsi duobus seculis retrocessi existerent.

His impulsus in scientiam ignominiis, per dubium methodicum, ad scientiarum veritatem et certitudinem penetrare conatus sum, ut, sub auspiciis sensûs communis et methodi criticæ, ad facultatum vitalium parallelè comparatarum fundamentalem concurrentiam, nempe modificatorum, medii materialis et virium, exponendam pervenirem.

Hoc opere incepto, tot tamque diversa sese offerebant systemata, opiniones, commenta, observationes etc.

ut inextricabilia mihi viderentur. En illico felix mihi idæa incidit: primarii istorum systematum, observationum etc. auctores ipsi litem hanc derimant, dixi; quo posito, scriptorum primariorum decorationibus ac laureis onustorum concursum instituo, horum quisque sese palmam prærepturum videbatur profiteri, dum quisque etiam præsumptæ suæ victoriæ signum distinctivum secum ferabat. Dato hoc signo, incipiunt vociferari, garrire, clamitare, furere, sed sese invicem nullatenùs intelligunt; mutuo itaque repulsi et coacti, in varias classes et ordines, secedunt. Obstupefactus sum ob tantas dissentiones contradictorias atque invectivas. Intercurrebant etiam quidam, qui sese male haberent, si, ut alii, deberent cogitare. De tali quocumque murmuranter dicebatur:

Vient-il infecter l'air qu'on respire en ce lieu?
(Racine, *Athalie.*)

Eos tacitè dimitto, quia sunt inconciliabiles. Tunc cæterorum omnes decorationes depono, omnes vestes exuo, extremas evolutiones reprimo, omnemque emphasim prohibeo. Ecce hi jam vix differunt et in naturâ suâ, pro maxima parte, consentiunt.

Pauca hæc, quæ mihi fundamentalia videntur, analyticè et aphoreticè, ut ita dicam, per paragraphos tradam, numquam præceptum oculo amittens:

J'évite d'être long et je deviens obscur.
(Boileau, *art poet.*)

Auctores non exscribo, sed eos decompono, decompositas sententias imitor et, per novas combinationes, meas facio, sic hujus dissertationis fondamentum nulli auctori proprium est, sed ex omnium conflictu resultat, nam omnes analysi subjecī, ex quibus analysibus meam dissertationem construxi.

Maximus esset certè error, credere hunc meum processum omnium approbationem secum trahere, nam spectatores non paucos video modo renuentes et oculos avertentes, quia videor auctorum dignitatem deprimere et omnes doctrinas reddere monotonas, frigidas et vix cohærentes, prouti spectatores plurimi, declamationibus, distractionibus vel ornatibus oblectantur, id est, prouti amant divertiri, moveri et persuaderi per digressionum atque transitionum apparatus, qui inventionis rhetoricæ præcepta constituunt. (Girard *préceptes de rhétorique*.)

Murmurantium ille circumstrepitus haud sanè me commovet; sed animum assumam strenuèque contendam, dixi, oportet, ut contradictiones inter tot concurrentes evitem, atque unitatem ac simplicitatem servem; nam, in relatione historicâ; (*secundum* Bonald.) quædam quidem facta possunt esse vera et alia falsa, sed, in dissertatione physiologicâ, debet esse concatenatio rationalis totius, si in quæstione sit, est hypothesis; si factum sit improbatum et rejectum, error; si probatum et admissum, veritas.

Rien n'est beau que le vrai, le vrai seul est aimable? (BOILEAU.)

Triplex datur veritatis sensus et notio, pro triplici cognoscendi modo, scilicet: sensualiter, sentimentaliter ac rationaliter cognoscimus, sed hi cognoscendi modi, per sensum communem et methodum, ducantur, si velimus veritati et certitudini adhærere; nam, in phœnomenis intellectualibus, nunc actio sensationis, nunc sensûs intimi prædominat; (secundum VIREY, dict. des sc. Med.) et ratio sub utrâque actione ad extrema ferri potest; hinc duo modi philosophandi, primus ad materialismum, secundus ad immaterialismum pertinet. 1.° Locke et Condillac dicunt nihil esse reale nisi materia, unde intelligentia a rebus externis proveniens, est functionis relationis productum, sed tunc equidem (ADELON secundum Condillac.) impressiones externæ debent digeri et transformari, ut idææ fiant et intelligentiam constituant; unde corpora non, nisi medio idæarum, sive per idæas, novimus. Ergo nihil de mundo cognoscimus, nisi idæas nostras, et cogitationes in nobis existentes; atqui idæa tantum rei possibilitatem sive essentiam, non vero realem existentiam exhibet sive demonstrat, quo fit, ut mundus sit phantasticus et vita illusoria, ergo materialista etiam ad illusionem propellitur. 2.° Leibnitz et Kant. (VIREY, *id.*) exstasibus abrepti, cessant sentire res externas et illuminismo abs-

trahuntur, hic omnia ab interno proveniunt et omnia extrinsecùs sunt phantastica, nam nulla videtur relatio immediata possibilis inter substantias corporeas et spirituales, dum monadologia est imperfectibilis, ergo spiritus activus per se extenditur in tempus et spatium, quæ sunt ejus modificationes, unde substantiæ spirituales independentes et essentiales sunt solæ realitates transcendentales. Ergo quodcumque systema amplectamur, semper ad vitæ illusionem pellimur.

La fonction intellectuelle, est un mystère impénétrable pour notre esprit et le matérialisme une hypothèse d'autant plus hasardée, que la philosophie ne peut donner aucune preuve directe de l'existence effective de la matière. (CUVIER, *règne anim. introd.*)

DE DUBIO METHODICO.

Scepticos non imitabor, (*Descartes. dissert. de Meth. n.° 3.*) qui dubitant tantum, ut dubitent et præter incertitudinem ipsam nihil quærunt; sed contra totus in eo sum, ut aliquid certi reperiam, et quemadmodum fieri solet cum in arenoso solo ædificatur, tam altè fodere cupio, ut tandem ad saxum perveniam.

Scientiarum omnium perfectio et progressus debetur triplici curæ, scilicet discendi vel sibi idæas comparandi, docendi vel propositiones emittendi et aliquam methodum scientiæ indagandæ et promulgandæ habendi, (*Secundum Logicam Lugduni*). His ad veritatem penetramus, unde generaliter triplex stabilitur certitudo, nempe objectiva, subjectiva et motivalis, ex triplici ordine, physico, metaphysico et morali, desumpta, sed harum nulla absoluta est, quia media cognoscendi iis relativa, scilicet, relatio sensuum (sensation) sensus intimus (sentiment) et ratio (raisonnement), nullatenus dubium omne avertunt.

Certitudo relationis sensuum. Omnia quæ per sensus percipimus (*Secundum Kant. philosophiâ transcendentali*) lege cognitivâ mutantur, unda omnis cognitio objectiva phantastica evadit, lex hæc demonstratur per machinam opticam, dictam *chambre obscure*, hujus recipiens luminis, vitro rubro instructum, omnia objecta repræsentata in fundo cameræ reddit rubra, rubrum illud est lex cognitiva, sic nunquam corpus nisi coloratum videmus, quamvis substantia in se non est colorata, dum color est modus subjectivus, accidentalis ad objectum. Idem de cæteris sensibus, et spatium ac tempus, ut color et sonus sunt tantum realitates subjectivæ. Ergo objecta sunt modificata per modum nostrum sentiendi.

La perception imprime un caractère intellectuel aux impressions reçues, par elle nous nous approprions les objets externes. (Bossuet.)

Lex illa cognitiva (*Kant. op. cit*). abyssum fodit insuperabilem inter realitatem

objectivam et subjectivam, quia mutatio sive modificatio, quam objectiva subeunt per legem illam, qua realitates objectivæ fiunt subjectivæ, numquam exactè determinari, nec mathematice æstimari, valebit. Ergo objecta evadunt phantasmata vel apparentiæ, quarum realitas nos subterfugit.

Certitudo sensus intimi. Evidentia sive convictio (*Gall. philosophie de l'homme. vol.* 6.°) variat pro vario ætatis tempore, educatione, commodo, gustu, propensione, passione et vario stutitiæ gradu, qui sunt varii modi activitatis facultatum fondamentalium.

Le temps qui change tout, change aussi nos humeurs,
Chaque age a ses plaisirs, son esprit et ses mœurs. (Boileau).

Axiomata tantum admittimus per pusillanimitatem, (*Secundum De la Mennais, de la certitude*) per sensum communem, *nous y reposons par faiblesse et non par jugement éclairé,* sic istas realitates admittimus cum plenariâ istarum ignorantiâ et scientiæ omnes pro basi habent axioma non demonstratum. Ergo sensus intimus et phantasia sunt contraria et non differre videntur.

Certitudo ratiocinii. Cognitio exacta veritatis excludit omne ratiocinium, (*De la Mennais op. cit*). nam ratiocinari est quærere, sed non est quærendum id, quod possidemus. Ratiocinatio est torrens, qui omnem certitudinem submergit, nam duo spiritus, ab eodem puncto proficiscentes, ante quartum passum modo separantur.

Demonstratio logica nititur conceptionibus abstractis, (*Kant. op. cit*). quarum objectum, pro duplici generali cognitione, essentiarum atque existentiarum, vel potest individualisari vel non potest, atqui sive combinatio logica sit objectiva sive subjectiva, semper est formalis semperque ejus inductio est hypothetica, quia supponit id, quod non bene cognoscimus, sive de quo quæstio est, semperque dubia, quia analysis demonstrat propositionem mediam ratiocinii raro præcisè continere et præcedentem et consequentem, undè syllogismus vix differt a sophysmate et omnis ferè explicatio est paradoxalis.

Ergo, ob limitatam suam intelligentiam, homo nullius rei totum cognoscens semperque variabilis, pellitur ad scepticismum universalem sive ad destructionem omnis veritatis; nam omnia probare per existentiam Dei ejusque attributa non est methodice procedere, nec est ire de cognito ad incognitum.

Sed Pyrrhonismus est absurdus, (*De la Mennais op. cit*). quia est mors moralis, et scepticismus absolutus necessariò evanescit, dum intrepidissimus quisque

scepticus præcipicium evitare non dubitat. Ergo nobis insciis, propensione quâdam unanimi et naturali, judicamus, quid verum, quid falsum, quid bonum, quid malum sit, et Carthesius dicens: cogito, ergo existo, sum quia Deus est, non judicium emittit, sed articulum fidei symboli intelligentiæ.

Tout doit tendre au bon sens: mais pour y parvenir,
Le chemin est glissant, et pénible à tenir.
Pour peu qu'on s'en écarte, aussitôt on se noie,
La raison pour marcher n'a souvent qu'une voie.
(Boileau, *art. poétique chant. prim*).

Sensus communis. Vera scientia est tantum conflictus factorum et idæarum per consensum, (*De la Mennais op. cit*). nam duo homines sensu oppositi, nihil affirmare possunt, sese mutuo admirantur et quisque dicit: tu solus ita cogitas; et arbitrum quærunt; inde factum quodcumque plus minusve certum est, pro multitudine competente admittentium. Ergo ratio critica cujuscumque scientiæ consistit in distinctione et determinatione majoris auctoritatis, unde scientia est erronea, quæ sufficiente numero auctoritatum non gaudet, ergo id, quod fortiter quisque sentit non est semper, verum quia stultus fortiter potest sentire se esse sapientem, dum stultitia est summus dissentionis, a sensu communi, gradus. Ergo præjudiciis, sophismatibus, passionibus etc. sese subtrahens homo, voci naturali obtemperat, quæ est conscientia in omnibus eadem quæque constituit sensum communem.

Hæc regula certa est, facilis et naturalis, sed alia res est uti ista regulâ, alia vero illam probare et probatam sentire. Ergo ut scientias verè sentiamus, debet ingenium nostrum cùm scientiarum progressu progredi, debemus ad scientiarum principia ascendere, eorum penetralia adire et rerum naturam amplecti.

Qui ne vole au sommet tombe au plus bas degré. (Boileau).

Una scientia est introductio ad alteram, quia omnes communem originem habent et eodem fundamento nituntur, sic scientiarum genium detegitur et promovetur, duplici præcipuè methodo, mathematicâ et chemicâ, unde certitudo, sensu communi, stabilita prodit.

Certitudo mathematica. Hæc mathematicis operationibus nititur, (*Secundum* Laromiguierre, *systéme des facultés de l'ame*). nam sicuti omnium calculorum processus ad triplicem typum, additionis, subtractionis et substitutionis reduçuntur, sic etiam eodem typo correspondens et nitens, omnis descriptio, expositio, enarratio et ratiocinatio, ut valeat, debet fieri per compositionem, decompositionem et substitutionem idæarum.

Processus additionis sive compositionis meritò genium creator proclamatur, hic enim sexcenta mirabilia hinc illinc antea dispersa colligit, aptè disponit, gratâque induit harmoniâ; hæc unio nova incognitam anteà sic combinationem efformat. Subtractio idæam in aliâ existentem effodit. Substitutio aliis iterum verbis ostendit id, quod modo ad cognitionum numerum erat redactum. Ergo descriptio, narratio etc. quæ non esset calculus, esset idæarum incohærentium et confusarum cahos.

Certitudo chemica. Hæc chemicis scrutatoribus debetur estque duplex, analytica et synthetica; in expositione sicuti in perquisitione scientiarum, (*Secundum Condillac*). debemus proficisci a facie rei maximè sensibili, evidenti et conceptu facillima; en medium demonstrationis: ab una parte, per analysim ascendimus ad conceptiones maximè simplices, ad causam proximam, ab altera vero descendimus, per synthesim, ad rem maximè compositam et complicatam, ad causas remotas. Intervallum complere inter idæas remotas et proximas, per idæas intermedias est idæas ita concatenare, ut eas enunciare sit rem demonstrare; (*Descartes*).

Rem methodo subjicere, est successivè qualitates istius rei observare, (*Secundum* Locke.) et separare unam pluresve idæas ab idæis, quibuscum coexistebant, est formare idæas generales. Hæc methodus scientiarum principia detegit et in principiis stabilitis, scientiæ indagatio iterum debet niti. Scientiæ analysis est principiorum illi applicandorum succincta connexio, à quâ, per synthesim, ad totam scientiæ compagem et phænomenorum complicationem nos extendimus. Synthesis vel specificatio et individualisatio debet omninò quadrare cum analysi vel generalisatione et abstractione, alioquin principia essent defectuosa, quæ non omnibus phænomenis observatis possent applicari. Newton, (Bichat. *anat. gen. introd.*) ex primis detexit divinum arcanum, scilicet, maritare principiorum simplicitatem cum multiplicitate phænomenorum.

Le calcul commande à la nature, l'expérience là contraint a se dévoiler et l'observation cherche à la surprendre sur leurs déterminations. (Cuvier, *règne anim. introd.*)

Les philosophes analysent l'homme intellectuel, les physiologistes décomposent son organisation physique et animée, et les moralistes l'observent agissant dans la Société, mais ces trois parties ne sont qu'une : (*Exposition de la doctrine physionomique du docteur Gall. disc. prél.*)

Çum his armis campum facultatum vitalium hominis aggredi non timemus.

DE VITÆ FACULTATIBUS.

Natura vitæ. Natura provenit a nasci (*Secundum* Bonald. *legisl. prim. disc. prél.*) et ens nascitur cum medio ad finem, scopus ille et medium constituunt ejus naturam. Ergo natura supponit ens creatum et tantum est conditio, non causa ejus existentiæ. Sic origo et causa differunt; principium et causa sunt idææ relativæ, (Laromiguière, *op. cit.*) principium ad consequentiàm et causa ad effeçtum, principium est verbum abstractum, causa vero concretum. Si principium et causa essent eadem, nulla daretur creatio et omnia, quæ existunt, partem Dei efficerent. En quo ducit verborum abusus et significationum confusio.

In naturâ nihil nisi substantias, (Larom. *op. cit.*) proprietates et phænomena reperimus, omnia, quæ existunt, ad illa tria reduci possunt. Proprietates non creamus (Bichat. *anat. gen. introd.*) sed detegimus ex phænomenorum observatione, easque per experientiam sufficientem reducimus ad substantiam propriam, indè scientiarum principia. Substantiæ non differunt ob proprietatum differentiam, sed proprietates differunt, quia substantiæ sunt differentes, sic veterum cahos erat materia sine proprietatibus.

Omnes substantiæ hucusque notæ, in triplicem classem, abeunt, vel sunt simplices, vel dynamicæ, vel materiales et qualiscumque sit materiæ divisibilitas, hæc nullatenus hanc distinctionem subvertit. Earum substantiarum triplex genus ad hominem efformandum concurrit, quia phænomena et proprietates triplici substantiæ correspondentia manifestantur, sic substantiarum simplicium proprietas est cogitatio, dynamicarum, reactio et vis propagationis, ac materialium, est attractio et contractio variè modificatæ, unde scientiæ hominis difficultas, vitæque complicatio.

La plus grande, (Virey, *dict. des med.*) *la plus difficile question que l'on puisse faire, après celle sur Dieu même, est: qu'est ce que la vie?*

Vita in genere. Vita melius describitur quam definitur, tamen eam dicimus, seriem motuum et actuum manifestorum, qui, in corporibus organicis, per vires et modificatores, tempore quodam, intertinentur.

Physiologia est scientia vitæ sive phænomenorum vitalium tam vegitabilium quam animalium, hæc differt a scientiis physicis (Bichat, *an. gen.*) vel non organicis præcipuè in eo, quod physicæ proprietates sunt permanentes et stabiles,

dum organicæ continuò mutantur, alterantur, exaltantur vel deprimuntur, pro statu textuum mobili, per virium mutabilitatem et modificatorum influxum diversum.

Vita duplex. Phænomena vitalia in duas classes abeunt, prima vitam vegetativam, secunda sensiferam constituit; duplex hæc vita per virium, modificatorum ac organorum diversitatem differt, et sicuti apparatus variis systematibus organicis conflantur, sic etiam functiones ad facultates reducuntur.

An facultas est potentia? an capacitas agendi? est abstractio, (*Secundum Enciclopediam, art. faculté*). est x algebraica activitatis, nam tria requiruntur et sufficiunt, ut facultas existat, vis, medium materiale et modificatores. Vis differt a facultate, sicuti causa a principio, vis est causa motûs et actûs, qui modificatoribus intertenentur, en hominem. Non hic de origine sive creatione, nec de fine sive morte agimus, sed de homine existente, sic quoad vires hominis facultates dividuntur in vitales et mentales, quoad medium materiale, in vegetativas et relativas, quoad effectum in motilitatem et sensibilitatem, in vitam organicam et animalem. Utramque vitam cum organis encephalicis esse in relatione demonstravit Legallois, et in utraque vita duplicem *mirandam mobilitatem*, quâ vires sæpe incongruam, ut ita dicam, directionem capiunt, existere, nempe, sympathiam et habitudinem, quæ medecinæ ferè totius basim constituunt, experientia quotidiana testari non desinit; sympathia et habitudo magnam distinctionem faciunt inter vitam et physicam vel inter vitalismum et mechanismum: sympathiæ sequuntur evolutionem organorum, sic in juventute pulmones facilius afficiuntur. (Bichat, *anal. gen. introd.*) Sicuti sucussivè physiologia didicit, ab hygiene, actionem modificatorum; a botanicâ et historiâ naturali, classificationes; a physicâ, leges motûs, ab anatomiâ, structuram organicam; a chemiâ naturam elementorum; a pathologiâ, causas perturbatrices fonctionum; et a praxi ac materie medicâ atque chirurgiâ, rationem et medium, quibus functiones ad normam naturalem reducuntur, sic etiam promoveri, per indagationem substantiarum imponderabilium atque simplicium, patebit, sicque una pars, moralitatis, altera verò, medecinæ aliquam basim constituit.

Ergo physiologia ab unâ parte, est scientia mechanico-vitalis, ab alterâ, organico-mentalis, hinc actus intellectuales, cum fonctione nervosâ, nuptas, illinc motus dynamico-organicos et nutritivos considerat. Ab unâ parte dicimus: Vivere est sentire et sentire est cogitare, quod requirit mentem; ab alterâ, vivere est agere, et motui præsidet vis vitalis; sicuti utraque vis vitalis et mentalis medium mate-

riale requirit, ut facultates manifestentur, sic etiam medio activitatis indiget sive modificatoribus, ut intertineantur.

Ex concepto hoc fundamentali parallelam utriusque vitæ desumpsi, sic 1.° de modificatoribus utriusque vitæ, hinc imprimentibus, illinc stimulantibus, agam. 2.° Organa utriusque vitæ considerabo et 3.° vires examinabo, quæ perquisitionibus coronidem deberent imponere, sed quorum inexacta çognitio, obstaculum ponit progressui ulteriori scientiarum naturalium. En utraque pars ex parallelâ hâc çonflata.

PARS PRIOR.

De vita animali sive de facultatibus intellèctualibus.

Vita animalis vel functio relationis consistit (ADELON, *physiol. de l'homme.*) in sensibilitate, locomotione et expressione, hæ totidem apparatibus perficiuntur, nempe 1.° apparatu sensitivo externo, sunt organa quinque sensuum; interno, sunt organa encephalica, cerebrum, cerebellum, medulla oblongata et spinalis; denique apparatu conductorum nervorum encephalicorum et ganglionalium sensûs et motûs. 2.° Locomotorio, sunt musculi, ossa etc. 3.° vocali, est larinx atque ejus annexa.

Dissertationis hanc partem limito ad quædam momenta sensibilitatis, quæ complectitur facultates sensationis, intellectûs et affectionis, quæ omnes, cum cerebro in relatione sunt, dum sensus et organa dissita tantum sunt occasiones idæarum, conceptionum atque passionum; hæc olim contrario habebantur.

Sicuti in parte alterâ faciam, hic rem, per dubium methodicum et sensum communem, paulo altius assumam, ut ejus succєssiva perfectio pateat, successivo studio 1.° modificatorum, sive impressionum idæarum, 2.° actionis cerebralis et 3.° activitatis mentalis.

DE ORIGINE IDÆARUM.

ONTHOLOGIA. Considero hic idæas in se, abstractione factâ, a motu cerebrali intimo, sicuti studemus secretionibus abstractim a consideratione actionis intimæ organi secretorii. Ergo campum possibilitatum ideologicarum aggrediens, infero: perceptionem esse modificationem mentis, quæ non obtinetur, nisi per objecti repræsentationem, unde idæa est mera rei repræsentatio in mente facta. (DESCARTES).

Diu jam agitata fuit quæstio, (*Secundum* ADELON, *fonction de la relation art. psycologie.*) utrum mens sit tabula rasa? an idææ sint innatæ? Hinc Plato et Carthesius; illinc stant Baco et Lockius: sed illæ differentiæ solummodo sunt protractæ, per exagerationem iufluentiæ illinc mentis, hinc vero modificatorum sive objectorum excitantium, ergo secundum sensum communem, medio tutissimus ibis;

nam veritas residet inter duas istas theorias, quia impressiones quidem requiruntur ad idæarum formationem, sed et mens sibi ipsa creat et determinat impressiones. Hic non loquimur de idæis, quæ explicantur per vibrationem aliosve motus, nam tunc nulla comparatio aliave mentalis actio esset possibilis.

Facultates abstractivæ. Locke et Hobbes duas animæ facultates, intellectum et voluntatem, admittunt. (*Gall. partie mor. de la phys. du cerv. vol.* 1.° *sect.* 1.a) Aristoteles admittit facultates communes cum animalibus. Baco duas animas, rationalem et sensitivam, distinguit. Carthesius agnoscit quatuor facultates; voluntatem, intellectum, imaginationem et sensibilitatem. Kant viginti quinque imaginavit facultates sive formas primitivas et conceptiones transcendentales.

Ideologia. Omnibus benè perspectis et observatis, sex præcipuè facultates mentales reperiuntur; (Condillac, *orig. des connoiss. hum.*) nempe: attentio, comparatio, judicium, reflexio, imaginatio et ratiocinium, sed an hæ omnes a sensatione originem ducunt? an semper sunt sensationes transformatæ? nullatenus, quamvis sensationes tamen, ut color, dolor, motus, quies etc. primarias suppeditent cogitationes, dum per reflexionem in has imaginatio producit secundarias, dumque idæas omnes (Condillac, *des sensations*) impressionibus externis esse analogas probat statua Condillac, ubi fingit, se hujus locum occupare, gradatim sensibus atque idæis analogis et relativè correspondentibus instrui, nam alias esse origines idæarum patebit.

Posteà ad quatuor reductæ sunt facultates sensationis (*Secundum* Destutt-Tracy, *elem. d'ideol.*) ad sensibilitatem, memoriam, judicium et voluntatem: quatuor hæ facultates sibi invicem succedunt, si non incognitò, saltem independenter a voluntate et sicuti alimenta ad stomachum delata, irresistibiliter digeruntur, sic etiam impressio, ad cerebrum ducta, percipitur, memoriæ imprimitur, judicatur etc. Hic attentio est exercitium activum facultatum primitivarum, reflexio et ratiocinium istarum bonus usus, et comparatio ac imaginatio, judicio continentur.

Sensatio sola non est omnium idæarum origo; nam præter idæas sensuales, (*Secundum* Laromiguière, *systême des fac. de l'ame.*) dantur idææ contemplationis animæ, idææ similitudinis et comparationis, causæ et effectûs, idææ morales etc. Nec sensatio est facultas originalis cæterarum facultatum, sed attentio, quia anima passiva in receptione sensationum fit activa per attentionem ad objectum determinatum, unde duplex systema facultatum, intellectus et voluntas; sensibilitas sive capacitas sentiendi, et activitas sive facultas agendi, sunt duo attributa inseparabilia animæ. Systema quodque triplicem facultatem involvit, attentionem, comparationem et ratiocinium, ad quas, omnes denominationes facultatum reduci valent.

Alii alias iterum facultates primordiales seligünt, (*Secundum* Bonald, *physiol.*) ut omnia phænomena intellectualia explicent, sic cogitationem consistere in sensibilitate, conceptione et imaginatione contendunt, dum memoria, quæ præcipuè versatur circà facultatem præcellentem, est exercitium istarum facultatum. Imaginationes ac conceptiones præteritæ reducuntur in memoriam, dum *meminiscimur* desensatione, quia non redit. Sensatio sive sensibilitas limitatur ad conservationem, dum imaginatio et conceptio ad munus obeundum extenduntur. Sic eruditi videntur homines, cum conceptione cæteroquin omnino limitatâ, quia magis memoriâ utuntur ac imaginatione, quam conceptione, illic conceptionem magis exercent et minus consociabiles apparent.

Denique homo manifestè movetur duobus phænomenorum ordinibus: (*Secundum* Alibert, *physiol. des passions.*) prima operantur ministerio sensuum, unde idææ acquisitæ et corporales, alia sensu intimo, unde idææ inspiratæ et generales. Homo naturaliter amat sensationem, ergo curiositas est primum attributum systematis sensibilis, et ejus fixitas in aliqua re constituit attentionem, sic pueri, ob magnam mobilitatem, sunt magis curiosi, quam attenti; curiositas est involuntaria, dum attentio est voluntaria. Sensus intimus consistit ex inclinationibus sine vel cum reflexione. Memoria est reproductio activa impressionis cujuscumque intellectualisatæ, et imaginatio est tantum memoria, sensu intimo, exaltata, sicuti magia panoramatum reproducit loca multo pulchriora. Finaliter omnium operationum harmoniam et convenientiam judicium examinat.

En physiologi, qui tantum puncto visuali differunt.

Natura et causa idæarum. Duo sunt præcipuè systemata circa naturam idæarum facultatumque intellectualium 1.° materialismus. Cogitationum causa est cerebrum, (*Secundum* Cabanis, *rapport du phys. au mor.*) quod sensationes recipit, digerit et in cogitationem vertit, hic homo est organismus sensibilis, qui duçit spiritum a circumjacentibus requisitis et commodis satisfaciendis. Definitio hæc, animalibus et vegitabilibus omnibus communis, nimis generalis est, nec ad vires homini speciales ac fundamentales ducit, dum eas confundit cum conditionibus, dumque correlatio facultatum cogitandi cum statu organorum, ut influentia ætatis, sexûs, temperamenti, climatis, morbi, regiminis etc., nullatenùs ad systema materialismi nos limitat. 2.° Spiritualismus. Cerebrum est instrumentum, (*Secundum* Bonald, *physiol.*) quod cogitationi inservit, ut oculus visui, sic homo definitur, intelligentia cui organa inserviunt, ut impressiones et expressiones relativæ obtineant, unde organis vitiatis, mala fit impressio et expressio, ut ministris imperii corruptis.

Voilà tous les philosophes et physiologistes qui planent dans les nues de la speculation, puisque leurs facultés ne sont que des abstractions, ne désignant ni instinct, ni penchant, ni talent etc. (*Gall. op. cit.*)

FACULTATES CEREBRI FUNDAMENTALES.

Organum actuum intellectualium esse cerebrum probat defatigatio istius organi, requisita integritas, generaliter etiam angulus facialis Camper, angulus occipitalis Daubenton, ac parallela faciei et cranii Cuvier, quia cranium generaliter est in ratione voluminis cerebri et facies in ratione evolutionis organorum gustûs et odoratûs, unde facies est relativa ad necessaria physica, cranium ad intelligentiam.

Cerebrum est compositum (*D'après l'exposition de la doct. du docteur Gall. part.* 1.re *chap.* 4, 5, 6, 7.) tot organis sive systematibus peculiaribus, quot sunt propensiones aut facultates primordiales inter se differentes, in actibus intellectualibus atque moralibus, quia facultatis actio semper est in ratione evolutionis systematis ejus fundamentalis, sic odoratus animalium extenditur pro evolutione nervi olfactorii: atqui facultates sunt multiplices et differentes, quia variatio occupationum tollit defatigationem, quia una facultas alteri præcellit et quia monomania sanatur provocando idæam oppositam. Ergo systemata cerebralia quamvis anatomicè demonstrari non possint, ut facultates fundamentales, sunt multiplicia, sic dementia est sæpe partialis, ac læsio physica tantum unam aliquam facultatem sæpe modificat, sicque, cranium generaliter formam cerebri offerens vel protuberat vel deprimitur, facultatibus, pro diversitate hominum, temporum et ætatum, apparentibus vel disparentibus. Inde craniologia, per tactum communem probata, desumpta est.

De la vient que touchant à la fin de ses jours,
On renonce sans peine, aux plaisirs, aux amours.

(Pope, *trad. de* Resnel.)

Facultates abstractivæ, (*Secundum Gall. part. mor. de la physial du cerv. vol.* 1.° *sect.* 1.a) ut attentio, voluntas etc. sunt generales, sicuti gravitas et extensio omnium corporum, atqui, sicuti corpora omnia non sunt ideo æqualia et argentum aut aurum, sic etiam facultatum fundamentalium differentia est adeunda, nam, si mansissent scrutatores ad abstractiones, ignorantiæ tenebris, res naturales adhuc obvolverentur.

Facultates fundamentales (*id. sect.* 2.a 3.a) non sunt capacitates passivæ, quia influentiæ sensationum, educationum, consuetudinum etc. sunt tantum con-

ditiones, quibus virium cerebralium organa evolvuntur, exaltantur aut alterantur, ergo propensiones et vires (*Gall. vol. 6.° phil., de l' homme*) falcutatum sunt innatæ, aut præexistentes ab unâ parte, differentes ab attributis generalibus, intellectu, voluntate etc. ab alterâ. Sic ad facultatem tria concurrunt; unde: Deus fecit hominem ex glutine terræ, est idæa sublimis.

Automata carthesiana (*Secundum observ. phyf. et mor. sur l'instinct des anim. leur industrie et leurs mœurs. par* Reimar.) non possunt sensibus instrui ac ideo non admittenda sunt, et Condillac, ut evitaret carthesianismum, concedit rationem animalibus, atqui animalia sive belluæ non acquirunt industriam suam per experientiam, reflexionem, comparationem, inventionem etc. dum instinctus industrialis ipsis est innatus et consistit in distinctione necessariorum, in inclinatione commodorum et aversione incommodorum. Ergo animalia non habent gradus inferiores rationis, quia non possunt sibi formare idæas generales, sive abstractas, nec consequenter objectum individuale judicio submittere; neque habent signa abstractionum (*Secundum* Adelon, *de la sensibilité*) sive linguam artificialem, quæ quasi materialisat productiones spiritus estque vera Methodus analytica. Intelligentia sola format (Cuvier, *règne anim. introd.*) idæas generales, quæ sunt abstractiones, quibus præfigimus igimanes, unde signa, quorum concursus constituit linguam. Talis est intelligentia hominis, quæ educatione et studio debet propelli, sed belluæ instructæ sunt sensibus magis acutis ac armis naturalibus offensivis et defensivis. Animalia habent (Reimar, *op. cit.*) certe speciem animæ analogam sensationibus, unde inclinationes et aversiones, unde eorum repræsentationes confusæ sunt simulacrum nostræ facultatis intellectualis.

Facultates cerebrales fundamentales hucusque observatæ (*Gall. op. cit. des facult.*) sunt viginti septem, quarum novemdecim sunt communes omnibus animalibus, scilicet: instinctus propagationis, amor maternus, amicitia, defensio sui, instinctus vorax, malignitas, proprietas, superbia, vanitas, circonspectio, educatio, localitas, sensus, personalitas, verbalitas, artificium linguæ, relationis, coloris, soni et numeri, denique instinctus mecanicitatis. Sunt octo homini exclusivæ facultates, quæ actuum humanorum sunt fundamentales, nempe: sagacitas comparativa, ingenium metaphysicum, ingenium emphaticum et genium poeticum, bonitas, imitatio, firmitas ac religiositas. Spurzheim adhuc alias adjecit, ac proinde earum numerus nondum determinatus est.

Possunt dividi facultates fundamentales, (*Gall. vol. 6.° phil. de l'homme*) in sentimentales, propensivas, qualitativas, intellectivas etc. sed hæc divisio est merè arbitraria, sicuti et illa facultatum communium homines inter et belluas. Ergo unica

tantum divisio valet, scilicet in facultates fundamentales et attributa generalia. Sic servantur fructus laborum prædecessorum, dum observationes, experientiæ etc. manent, causâ proximâ solâ propulsâ.

Habemus (*Id.*) attentionem, memoriam, judicium etc. uniùs rei, nullam alteriûs, ergo quæque facultas fundamentalis habet sua attributa generalia, quæ sunt earum variæ modificationes, pro varia activitate. Ergò dum facultas fundamentalis existit, facultates successivæ perceptionis, attentionis, memoriæ, comparationis, judicii, rationis, imaginationis, inventionis, ingenii cæteræque citatæ, quarum successivâ applicatione, educatio successivè cum fructu propellitur, quoque existunt.

Generaliter attribuitur (*Id.*) origo artium, scientiarum, societatis etc. et commodis satisfaciendis et reflexioni (Destutt-Tracy.) Sed hæ tantum possunt esse causæ remotæ, dum causa proxima, sive verus fons sunt vires facultatum fundamentalium. Ergò scientiarum progressus sive perfectibilitas consistit vel in acquisitione novæ facultatis, vel in progressu indefinito cujuscumque facultatis fundamentalis, atqui numerus instrumentorum materialium est determinatus pro hac creatione; Ergò omnis scientiarum perfectibilitas proximè dependet ab indefinitâ perfectibilitate cujuscumque facultatis fundamentalis.

An ex oceano illo immenso opinionum magismagisque perfectiorum, (*Secundum* Virey, *dict. des sciences med.*) an ex continuâ illâ scientiarum revolutione, sequitur pyrrhonismus universalis ? nullatenus; nam impedimur naturâ nostrâ, instinctu, propensione et sensu communi. Artes quidam et scientiæ veterum non sunt comparandæ cum illis neotericorum, sed tantum objectivè differunt non subjectivè, nam, pro fundamentali nostrâ conceptione, facultates amittunt, (*Gall. vol.* 6.° *pphie de l'homme.*) ab unâ parte, id, quod lucrantur ab alterâ. Ergò manemus in circulo altitudinis et nullitatis, ac mundus nostræ intelligentiæ est summa æqualis organorum cerebralium.

L'esprit humain à ses époques de sagesse et de vertige, de grandeur et de décadence comme la Société..... et les opinions, la reine du monde, (*Pascal*) *sont les doctrines dominantes.* (*De la Mennais, essai sur l'indiff.*) *Chaque siècle produit, par le progrès naturel des lumières, une sorte de goût général, qui domine dans les sciences et qui semble entrainer tous les esprits.* (Pinel, *introd. nosologie.*) Ergo sensus communis et methodus est ramus aureus, qui nos ducit in labyrintho intelligentiæ, et sensus communis per methodum fit competens. Nunç ad tertiam concurrentiæ facultatum essentiam transeamus.

DE VI ET POTENTIA FACULTATUM INTELLECTUALIUM ET MORALIUM.

A vi vitali distingui debet anima rationalis, quia sine eâ nulla sensatio, dum nulla conscientia, nam quomodo sibi rationem redderet impressionum productarum? Ergo si unus esset homo, id est, solummodo materialis, non doleret, quia nesciret unde doleret. Cognitio hominis æquè quæri debet in animâ ac in organis materialibus, (*Secundum* Alibert, *physiol. des passions.*) quia corpus est tantum instrumentum harmonicum reflectens, imitans et reproducens phænomena animæ. Dantur homines debiles, qui velociùs cogitant quam robusti; spiritus quidam abundantes et fœcundi rectitudine destituuntur; alii prompte procedunt, sed stant minimo obstaculo; alii lentè procedunt et nullum obstaculum inveninnt. Ergo in mente quædam inextricabilia latent.

Mens debet esse simplex (*Secundum* Kant. *phil. transcendent.*) ut cognoscat et ut multiplicia comparet et judicet. Homo quisque sentit mentem suam ejusque modificationes, vis sentiens est subjectum et objectum, *sentiens* et *sensum vel notum*, ratio illa non limitatur ad sensum intimum, sed vult, et actus suos manifestat ope organorum, dum vis vellens et movens differunt, quia sæpe volumus id, quod non possumus. Ergo, contra opinionem Volney (les ruines), veritas et certitudo primaria non est objectiva sed subjectiva. Ergo ad certitudinem existentiæ mentis pervenimus, (Bonald, *physiol.*) non solum per sensum communem, per analysim idæarum vel per processum quemcumque mechanicum, chemicum aut inductivum, sed per expressionem sensibilem, quâ actione determinatà, voluntas manifestatur, ut facies speculo, id quod nos certiores facit, rationem illam non esse illusoriam aut speculationis productum.

L'ame est distincte du corps, parceque les idées d'étendue et de simple different.... nous ne pouvons pas douter de cette union, puisque nous sentons et que nous avons un corps.... la connoissance des lois de cette union est le secret du créateur. (*Encyclopie method. art. log. et et metap.*)

Fatalismus non potest deduci ex istâ unione vel ex influentiis corporis in animam, quia sentimus nostram libertatem (*Gall. part. mort. de physiol. vol.* 1.° *sect.* 4.°); sed et etiam libertas illimitata et absoluta repugnat naturæ entis

contingentis sive creati. Libertas consistit in facultate attentionem fundamentalium facultatum præbendi alicui rei, sive utendi facultatibus fundamentalibus; inde responsabilitas.

Omnis facultas primitivà variè excitabilis est, (*Gall. vol.* 6.° *phil. de l'homme*) et secundum gradum excitationis nacitur desiderium, gustus, propensio, necessitas, passio, delirium etc.; si excitabilitas deprimitur nascitur affectio deprimens, ut timor, tristitia, desperatio etc.; hi varii et oppositi gradus in belluis et idiotis videntur frequentissimi, dum, in homine exculto et bene educato, volontas triumphat, et ratio est complementum sive summa activitatis simultaneæ omnium facultatum primitivarum, sed homines etiamnum intelligentes raro sunt rationales.

Propensio irresistibilis ad malum est miseria (*secundum exposit. de la doct. du docteur Gall. part.* 1.° *chap.* 3.°) quæ debet legibus reprimi, unde earum necessitas, propensio illa contra libertatem non peccat, quia potest existere sine actu, pro hâc opinione etiam stantes Patres Ecclesiæ, dicunt: nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec sensus obtusus, nec vita langens, reum per se statuerunt hominem, sicut nec contraria innocentem, et hæc, non ob aliud, nisi quia est hoc necessario, ac, præter voluntatem posse præveniri, probatur. (Augustinus *de lib. arb. et* Bernardus *lib. arbiter.*)

Quelle que soit enfin la passion régnante,
Contr'elle la raison est souvent impuissante.
(Pope, *essaï sur l'hom. trad. de du* Resnel.)

Singula facultas fundamentalis habet suum motivum (*Gall. vol.* 6.° *phil. de l'hom.*) proprium ac felicitatis desiderium. Et in cerebro nulla fnnctio, nulla facultas centralis est, nec organum cætera sub dominio tenens, sed quodque organum cerebrale suâ vice regit cæterorum actiones, prout actualiter in majori activitate versatur.

Et le Flamand *formé pour l'amour et la gloire,*
Aime, combat, triomphe et chante sa victoire.
(*De Lille.*)

Ergo sicuti ideologistæ erroneè posuerunt (*Secundum Gall. vol.* 6.° *phil. de l'hom.*) in sensatione, attentione etc. originem facultatum intellectualium, sic etiam moralistæ, in amore proprio (Volney) in felicitatis desiderio, in gaudio et tristitiâ, in amore et ôdio (De Weis) erroneè posuerunt originem facultatum affectivarum, nam cujusque facultatis fundamentalis usus proprius gignit virtutem

et vitium, unde præceptum fundamentale, observatio et studium sui, ut unusquisque secundum naturam suam, propensionem et dispositionem, assumat educationem congruentem religioni ac legislationi consentientem; nam vocationem non secutus, sive extra naturam suam positus homo, majori difficulate regulariter et tranquillè viveret.

Considerationes hæ fundamentales coincidunt cum generali divisione ethicæ praxeos, (*Secundum Institutionum philosophicarum cursus novus Lugduni. De ethica.*) quia hæc immediatè cum causâ proximâ fundamentali, quæ sola propulsa est, cohæret, sic actuum humanorum principia interna et externa dicuntur, interna sunt conscientia et volontas, externa vero finis et lex, atqui, principiis his positis, actus humani cum iis congruunt vel non, si congruunt est virtus, sive bonitas moralis, si non congruunt, est vitium sive malitia moralis. Ergo bonitas et malitia moralis, sunt actuum humanorum qualitates sive proprietates, quibus nullus actus indifferens haberi potest. Ergo virtus et vitium fluunt ex usu facultatum fundamentalium, quarum vires propensivæ conscientiam et volontatem constituunt, finis et legis necessitatem sentiunt.

FINIS PARTIS PRIORIS.

PARS ALTERA.

Scrutamur naturam sensu, intellectu et ratione.

(Lenhossek, *physiol. medic.*)

De vita vegetativa, seu de facultatibus organicis.

In genere. functiones nutritivæ intertinentur magno organorum numero, quorum forma, volumen et structura differunt, quorumque præcipua cavitate thorachica et abdominali continentur. Quintuplex apparatus organa illa constituit, nempe : digestivus, respiratorius, circulatorius, absorbens et secretorius, quibus functiones totidem correspondent, quarum actioni materialia nutritionis aut vegetationis submittuntur, successivè per œconomiam pelluntur et mutantur, unde facultatum organicarum scopus est elaborare, extrahere et addere œconomiæ substantias novas, quæ renovatio organicæ substantiæ est chemia animalis (Brouss. *physiol.*)

Variatio hominum, atque ætatum dependet ab influentia modificatorum vitæ essentialium, et si organisatio illis modificatoribus, quod impossibile est in hac rerum positione, non indigeret, tunc omnes homines essent iidem, non existerent morbi, et longævitas protraheretur, unde vita vegetativa est continua lucta cum rebus externis, sive cum legibus generalibus, quàrum æquilibrium constituit sanitatem ; lucta illa sustinetur et mors avertitur per vim vitalem, quâ sublatâ, mox organisatio ruit. Objectum speciale physiologiæ est motus organicus, sive variatio formæ determinata per stimulos externos, dum stimulus internus est eorum repetitio, ergo in motu triplex est concurrentia. (Darwin. *Zoonomie.*) Ergo facultates organicœ tria nobis consideranda offerunt, scilicet : modificatores, organisationem et vim vitalem, quarum successiva notio medecinæ progressum probabit.

DE MODIFICATORIBUS VITÆ VEGETATIVÆ.

Modificatores sunt interni et externi qui ad hygienes sex classes, (BAUMÉS.) circumfusa, applicata, gesta, ingesta, excreta et percepta, reducuntur, hæc modificant energiam vitalem ac determinant modum contractionis et nutritionis, in quarum conductione ferè tota medecina consistit. Hujus scientiam paulo altius assumam, ac antequam medecinæ fundamenta jacere conabor, omnis arena, usque ad terram fixam, removeatur, oportet; sic ædificabitur vera medecina, sensu communi et methodo suffulta.

MEDECINA DOMESTICA. Medecina anastomosatur cum omnibus scientiis, id est, sinu suo involvit ferè omnes cognitiones humanas, omnique tempore scientia medica habuit suos auctores celeberrimos, qui nec styli elegantiâ, nec cognitionum eruditione, scriptoribus cæterarum scientiarum cedere debuerunt. Cum cultura scientiarum cæterarum semper in relatione fuit medecina cumque illis talem affinitatem habent medecinæ auctores, ut, sine illarum notione, intelligi nequeant; et scientiæ naturales ita cohærent, ut progressus unius ab aliarum progressu dependeat, sic totam naturam amplectitur medecina, unde medecinæ domesticæ absurditas, nam impossibile est scientiam, ex notionibus tam diversis constantem, ad vulgi intellectum redigere.

EMPYRISMUS. Hippocrates, medecinæ parens, isolans studium medecinæ ab illo philosophiæ (LE GOUAS. *introd.*), illam separationem stabilire non potuit, nam una et altera, observatione nititur, sic scientia, doctrina, theoria et systema tantum gradu differunt et merè theoretici æquè essent absurdi àc merè practici; sed medecina in sinu suo gerit adhuc merè practicos sive empyricos, quorum notiones ad arctam sphæram observationum *routinalium* atque remediorum popularium limitantur; pro his scientia medica semper in infantia manet, nam vel debent omnia experiri, vel sibi theoriam creare: sed vita brevior est, ut cuncta experiantur et theoria non valeret, ut vidimus, quæ omnium phænomenorum observationibus et experimentis non responderet. Quid? Quod tantum per plurium seculorum observationes et experientias ad hunc scientiæ statum perventum est. Ergo his non collectis, theoriâ methodicâ, vagi erraremus in rebus medicis et omnia nova essent ad senum usque.

ECCLECTISMUS. Ante Divum Hippocratem medecina rudis, empyrica et superstitiosa ab heroibus et sacerdotibus exercebatur (*Secundum* RICHERAND *nosogra-*

phie.) ; post divum, empyrismus, methodismus, ecclectismus et medecina peripathetica protracti sunt usque ad secula ignorantiæ. Ecclecticus quicumque necessario cujusque doctrinæ, cujusque scientiæ ac cujusque systematis theoriam partim assumit (*Secundum* Virey. *dict. des sc. med.*) ; unde auctoribus studeamus non ut addiscamus, sed ut observationum novas applicationes successive detegamus, sic non erimus ecclectici, dum scientias, doctrinas, systemata, theorias ac ipsum ecclectismum decomponimus, sicque non jurabimus in verba magistri.

Humorismus chemicus. Pathologia Humoralis, cum apparatu scientifico, (Galenus.) eminenter propulsa fuit, usque ad seculum decimum septimum; (*Secundum* Cullen, *préfatio.*) dum notio exacta circulationis sanguinis et ducti thorachici radicitùs destruxit humorismum metaphysicum. Tunc pathologia amplexa est rationes chemicas, quibuscum philosophia corpuscularis et Carthesiana egregiè consentiebat, explicabat enim Carthesius nutritionem, per affinem transudationem materiæ plasticæ, per poros vasorum capillarium sanguiferorum laterales. Unde hæ rationes chemiçæ? ex eo, quod modificatores et causæ morbificæ limitabantur ad acrimoniam, aciditatem, alkalescentiam etc., unde æque ineptè cura omnis consistebat in neutralisatione istarum præsumptarum substantiarum.

Humorismus pneumaticus. Initio seculi decimi octavi apparuit pneumatismus (Athe Van Helmont et Stahl.) qui ponebat vim conservatricem et medicatricem immediatè sub animæ rationalis potentia, unde nata est medecina exspectans, qua çondemnabantur remedia activa, ut opium, quinquina, venæsectio, antimoniata etc., sed falso posito principio, non valet consequentia.

Pneumatista dicit : (Michu, *doct. med. expliquée d'après les doct. depuis* Hipp. *jusqu'à* Brouss.) Febris non est actio perturbatrix sed præservatrix, quia natura nostra est instinctiva et quasi providens, ab una parte morbi ducuntur ad solutionem per crises naturales, quæ pro vario morbi gradu, vario tempore et modo obtinent, unde necessarium est benè cognoscere directionem motuum criticorum, ne ipsorum progressui obstaculum ponatur : ab altera parte, dicit, febris provocat motum divergentem fluidorum ab organo affecto, vel saltem nititur, ut sudoribus, urinâ, diarrhæâ, etc. unde omnis methodus therapeutica revellens deduci debet, ergo duplex est motus fluxionalis et ut morbi inflammatorii, sic etiam nervosi et lymphatici crisibus sæpe plusminusve manifestis terminantur, unde irritationes motum febrilem non solæ determinant.

En pneumatismus humoralis purus, qui primo aspectu verus videtur, sed qui est omnino seductorius, nam hinc solutionem morbi fieri, per absorptionem substantiæ congestæ, sic detractionibus sanguiniis derivamus, illinc per exstinctionem irrita-

tionis sive per modificationem actionis localis, sic per controstimulantia revellimus, sicuti et motum divergentem febrilem fieri per irritationes sympathicas, demonstrabit corporis mecanismus.

Humorismus mechanicus. Dum in scenâ apparuit Kauw Bourhaave, humorismus ecclecticus explicabatur legibus speciosis mechanicis ac mathematicis. Leges sive proprietates physicæ quidem existunt in corporibus organicis, sed summa cum cautela sunt admittendæ. Sic molimen hemorrhagicum passivum provenit a legibus hydraulicis theoriæ mechanicæ, quam amplè refutarunt experimenta in cor et vasa ut sequitur.

Dividiter circulatio (*Secundum* Bichat, *anat. gen. syst. circulatoire.*) primo, in magnam sive generalem et in parvam sive pulmonalem, secundo, in arteriosam et venosam, atqui utraque divisio magnis idæis est fæcunda, sic cor duplex separatum æque ac junctum functiones suas perageret, nam utraque cordis pars est relativa ad phœnomena mechanica utriusque majoris et minoris circulationis, dum ventriculus sanguinis rubri magis est fibrosus; unde inter duos conos sita quæque pars cordis, ut agens impulsionis relative ad trajectum, debet considerari.

Cordis actionem præcellentem (*Syst. arter.*) in sanguinis circulatione, probat arteriarum, in motu sanguinis, passivitas, quæ deducitur ex comparatione earum proprietatum vitalium cum physicis, sic contractilitas vix sensibilis est in arteriis, dum elasticitas est magna, sive quasi erectilitas, cujus diametrum naturalem non videtur posse superare massa sanguinis, dum experimenta Hunteri et Parry sunt minutiuscula, unde motus sanguinis fit actione cordis potuis quam arteriarum, id confirmat anevrismus non perturbans pulsum, qui pergit etiam per tubum inertem, arteriæ sectæ introductum, dum pulsus interrumpitur per arteriam ligatam, denique id etiam confirmat simultaneitas pulsuum in omnibus partibus. Ergo concipitur circulatio, sine arteriarum actione.

Sed, sicuti, in systemate abdominali, duæ arbores venosæ (*Syst. capall.*), junctæ per truncum in sinu venæportarum, sunt fere passivæ, in sanguinis motu, sic actionem cordis posse frustrari etiam intelligimus, unde patet, quomodo posset abesse cor, quomodo sanguis diu potest oscillare ab uno systemate capillari ad alterum, quamvis cor deficiat per debilitatem, desorganisationem etc.; concipimus, inquam, quomodo, pulsu suspenso, in syncope et asphyxia, explicatur progressus sanguinis demonstratus, per aperturam arteriosam vel venosam et vacuitas arteriarum post mortem observata et probata experimentis Hunteri, Parry et Norman et earum contractio spasmodica et atonica, tempore vitæ; videmus quomodo denique animalia inferiorum ordinum, corde non instructa, vasis et circulatione

gaudere possunt. Ergo omnis circulatio ab actione systematis capillaris fieri potest, et vasa capillaria physicæ capillaritati quidem quatenùs sunt analoga, sed vitalitate omnino ab attractionis et affinitatis chemicæ naturâ recedunt.

Systema capillare (*Id.*) non debet distingui ab arterioso, quod jungit cum venoso, attamen sanquis in systemate capillari non est amplius sub influentia cordis, cujus actio non amplius correspondet ultimis arteriolis, unde, in capillaribus, motus sanguinis perficitur per earum tonicitatem sive vitalitatem, quia elasticitas in arteriis quatenùs sensibilis, hic etiam totaliter evanescit, Ergo. per assimilationem, absorptionem et excretionem ita activatur, ut systema capillare sufficeret ad totam circulationem intertinendam, unde concipimus cor nec posse, nec debere agere, in circulationem capillarem generalem. Systema capillare pulmonale talibus mobilibus noc activatur, sed impellitur aere respirato, sine quo daretur stagnatio sanguinis et asphyxia, quia sine hematosi omnis relatio circulationis rumpitur, sed in systemate capillari generali, alteratio localis non perturbat relationem generalem systematis arteriosi et venosi, quia tunc affecti textùs vices agunt cæteri textus; sicque humores in parte affecta tantum irritatione detinentur, sic fit omnis congestio, nisi causa sit mechanica, nam, quia venæ quatenus absorbent et agunt mechanismo cordis, possibile est, ut vitio cordis, sanguis stagnet in venis et præcipuè in abdominalibus, ubi raræ sunt valvulæ, nam circulatio venosa præcipuè duplici modo activatur, ex quorum mobilium defectu, tunc stases et congestiones secundariæ, morbi organici et nervosi nascuntur. Sic etiam de systemate absorbente ratiocinandum est.

Sub violentissimo accessu febrili, (*Id.*) excretiones et exhalationes non activantur, sed post accessum, per irritationes secundarias, nam, sub agitatione pulsûs, raro obvenire hemorrhagias, probat menstruatio, cæteræque hemorrhagiæ membranæ mucosæ, sub pulsûs statu depresso, sæpe obtinent. Ergo, sicuti nec sub excitatione, sic etiam maxima sub prostratione, nulla congestio merè passiva possibilis est, dum hydrops a dibilitate fit per irritabilitatem systematis absorbentis auctam, ac sudor frigidus (Begin, *analyse des princ. gen. de physiol. pathol.*) cum pallore et exhalatio follicularis, cum absentia congestionis sanguinis explicatur per axioma: ubi stimulus, ibi affluxus humorum; et duobus laboribus simul obortis vehementior obscurat alterum; quod coincidit cum physica ratione: attractio est in ratione directa massæ et inversa quadrati distantiæ. Ergo omnis motûs alteratio a ratione stimuli et irritationis partis dependet. Sed ex hujus luminis abusu natus est solidismus.

Solidismus. Hoffmann (Cullen, *préf.*) doctrinæ stahlii medico organicæ opposuit chemico-mechanicam suam et viam stravit ad doctrinam de proprietatibus vitatibus,

sed ex ejus doctrina, de fibra motrici et atonica nervorum, natus est solidismus Culleni, Brownii, Darwini etc. Cullen, nihil nisi spasmos videt reperitque, sed ejus Theoria deberet ad veras neuroses limitari.

Solidista dicit : (Darwin. *zoonom. part.* 1.re *vol.* 1-2.) stimulus est causa remota contractionis, quæ pro gradu est quadruplex, irritationis, sensationis, volitionis et associationis, quarum causa proxima est spiritus animationis, in systemate nervoso, residens, unde quadruplex motus sensorialis, unde quatuor temperamenta et morborum classes. Sicuti in sanitate sic etiam in morbis, quisque motus sensorialis (*vol.* 3.° *etc.*) potest nimium activari, deficere aut retrogradi, dum potentia sensorialis potest exhauriri, atque renovari, inde morborum ordines, quorum applicatio ad functiones constituit genera et species; en morborum classificatio: irritatio (classis) aucta (ordo) cum augmento circulationis (genus) constituit febrim irritativam, ebrietatem etc. (species), sic de cæteris. Hac methodo multiplices combinationes et complicationes extricantur antea imperceptibiles, sic reverà causa proxima promovetur et diagnosis, prognosis et cura rectificantur; sed motus illi sensoriales fundamentales deducuntur, a systemate metaphysico, deviante a sensu communi cæterorum metaphysicorum, nam spiritus animationis non est sola vis in homine existens, nec idæa est contractio, modificatio sive configuratio fibrarum organorum sensuum, neque earum contensio sive attentio dat perceptionem gaudii aut doloris etc. sed transeamus medecinam Brownianam.

Ille solidista dicit (Brown, *med. simplifiéc, avec les notes de* Frank.) vis vitalis est excitabilitas, quæ ducitur per modificatores, unde summa sanitas consistit in æquilibrio excitabilitatis et stimulorum, sed structura organica et excitabilitas sunt indivisibiles, unde vita candelam accensam imitatur, candela est excitabilitas, flamma excitamentum et aer excitans sive stimulus, unde excitabilitas est in ratione indirecta ad stimulos, hæc accumulatur per debilitatem, exhauritur vero per tonisationem, inde debilitas a nimio stimulo; hinc triplex stimulorum actio ac triplex status fundamentalis : fœmina excitatur caffeo, unde sthenia, lacte debilitatur, unde asthenia directa, et vino fit soporosa, unde asthenia indirecta.

Pro hac positione, (*Id.*) quo major est debilitas eo minori stimulo est utendum et gradatim ascendendum, sic mater cannæ, debuisset gradatim tonisari ante ipsius erroris annunciationem, asthenia vero indirecta curatur, fortia stimulantia gradatim minuendo; et summa cum attentione debet tractari sthenia ad conversionem in astheniam indirectam, ac in asthenia mixta cura debet intendi pro dominio unius atteriusve astheniæ, quod ex vitæ genere, causa contagiosa vel non, ex ætate, sexu, temperamento etc. deducitur.

Infantia est asthenia directa, (*Id.*) media ætas sthenia et senectus asthenia indirecta, pro hac divisione non solum medicamenta, sed et modificatores omnes ac causæ morborum distinguuntur, in stimulantia vel tonica, in debilitantia indirecta vel stimulorum defectum et in debilitantia directa vel stimulos sedativos. Modificatores illi primo dant morbos locales sive organicos, dein generales sive vitales per sympathiam, atqui sthenia unius partis ac asthenia alterius est impossibilis, quia excitabilitas est indivisibilis, Ergo in morbis localibus etiam convenit cura generalis. Morbi per opposita sanantur, unde determinationes hæ omnes ex observatione actionis modificatorum fluunt, sic tonica diffusibilia in morbis contagiosis, et, quia transpiratio supprimitur sub omni fere diathesi, sudorifica sunt remedia heroïca.

Ex hujus systematis fundamento fluit, (*Id.*) plures morbos esse vitales, quam organicos, plures asthenicos quam sthenicos, unde congestio frequentior per astheniam, quam per stheniam, Ergo morbi generales et interni raro sunt inflammatorii; sic febris non est pyrexia, sed asthenia generalis pro symptomatibus ipsis, nam observatio docet, transpirationem æque supprimi in morbis asthenicis quam sthenicis, sic in utroque genere calor non fit liber, sed combinatus remanet, unde frigus apparens, sitis, horror, tremor etc. et, sicuti intensitas frigoris externi abigitur per controstimulantia, sic iisdem etiam effectus caloris externi majoris impediri videtur.

Systema hoc aliquid luminis sparsit in medicina, sed multorum errorum esse fontem, ex assertis anterioribus, quibus ferè refutatum est per anticipationem, patet, dum transpiratio sive exhalatio et absorptio diversè afficiuntur. Brown vix videt nisi morbos asthenicos, quia ponit pro principio: vivere est excitari, unde excitabilitas, sive vis vitalis exhauritur; econtra Rasori et Thomassini dicunt, istam astheniam esse effectum vitalitatis supraabundantis, unde italorum theoria de contro-stimulantibus; sed vita non est aptitudo vel capacitas, ut illi volunt, sed facultas, cujus essentia, ut vidimus, consistit in triplici concurrentia modificatorum, medii materialis et potentiæ activæ. Hac divisione fundamentali, omnia phænomena ad simplicissimam expressionem reducuntur. Nonne contagium, febres etc. demonstrant, vim vitalem æque posse affici ac structuram organicam? Numquid modificatores æque directe possent agere in vim vitalem ac indirecte per medium materiale? nonne prostratio et irritatio evidenter simul existunt in morbis contagiosis, epidemicis, endemicis ac constitutionalibus? Nonne fæmina post partum generaliter magis debilis est, ac irritabilior, aut ad morbos susceptibilior? Ergo dis-

tinctionem morborum vitalium et organicorum, ut Brown non intelligimus, sicuti nec ejus stheniam et astheniam, ut patebit.

Brown non solummodo primum lapidem sui ædificii in aëre posuit, sed et etiam ineptè voluit omnes observationes suo systemati accommodare et conformare, nam, in febribus, (Brouss. *examen des sc. med.*) lassitudo, frigus, horror, dolor capitis, sudor etc. non supponunt semper astheniam, dum ea symptomata sunt raro ideopatica, sed frequenter sympathica, et pulsus simul debilis provenire potest ex phœnomeno nervoso, quia tunc cor spasmum generalem participat. Ab altera parte (Richerand, *physiologie, des mouvemens.*) ipsa phlegmasia dat debilitatem apparentem, et quisque status febrilis habet suam debilitatis speciem, sic:

In statu inflammatorio.	oppressio virium.
. . . bilioso.	fractura. . .
. . . pituitoso.	languor. . .
. . . adynamico.	prostratio. . .
. . . maligno.	ataxia. . . .
. . . . pestilentiali.	syderatio virium.

Ex his distinctionibus, determinationes luminosæ et fæcundæ scaturescunt, sine quibus male factâ diagnosi, malè stimulantia sua porrigit Brown.

Sympathiam, opportunitatem, diathesim etc. male determinat Brown, (Brouss. *examen des sc. med.*) quippe quæ non magis ad morbos generales, quam pyrexiæ ad exanthemata limitantur. Ergo Brownii systema ruit, qnia ejus classificatio in morbos generales et locales, in sthenicos et asthenicos merè est arbitraria. Ergo est ontologista, nam entia fictitia creavit pro basi, dum symptomata ad organum aliquod retulit, sine reali determinatione naturæ aberrationis. Abstractio hæc metaphysica, qua entitates fictitiæ atque morbiferæ, ut causæ malefacientes, ponuntur, est ontologia antiphysiologica. Ergo quisquis voluerit frui lumine seculi decimi noni, debet vocabulorum velum exuere, nam verba ipsa per scientiarum medicarum perfectionem, nunc aliam significationem acquisivêre, quo facto, educatio medica, per sensum communem ac methodum, ad immunitatem præjudiciorum pervenire poterit.

Perquisitiones medicæ hucusque factæ statu modificatorum nituntur, sed theoriam desumere a modificatorum actione, est positionem sumere in terra mobili et minus nota therapeïæ, ergo, humorismo et solidismo superato, ab organismo scientiæ fundamenta desumamus, ut ad vitalismum viam sternamus.

DE FACULTATIBUS SYSTEMATUM ORGANICORUM.

Sicuti Gall functiones cerebrales ad systemata redegit ; sic etiam Bichat, medecinæ modernæ , parens , non ad functiones generales mansit , sed apparatus divisit in varia systemata , pro variis facultatibus, collectis ex phænomenis et structura per experientias novas. Hic ergo de naturâ textuum agendum est.

Organisatio fætus. Aristoleles considerabat uterum, (*Secundum* Michu , *op. cit.*) ut ens speciale, quod habet, specificas ac determinatas influentias , sic organo-genia in relatione est cum utero, unde necessario caracteres similitudinis , morbi hereditarii , prædispositiones, temperamenta , idiosyncrasiæ etc. æquè ac a vi vitali determinantur.

Primus modus , (*Id.*) quem induit materia, quæ organisatur, est impressio tonicitatis potentiæ vitalis, quæ fit, secundum Allard et Reil, per actionem absorbentem specialem, unde materia fit vivens ac modum suum accipit a legibus Zoochemicis. Primis conceptionis temporibus (*Secundum* Brouss. *Traité de physiol. appliquée à la pathologie.*) embryo consistit ex massâ pulposo-mucosâ, sed pro ratione quâ fætus evolvitur, materia animalis primitiva sese exhibet sub formis conversibilibus aliis in alias gelatimæ, albuminis ac fibrinæ. Textura primaria fætûs est nervoso-vascularis, textu cellulari et musculari, connexa, sed textus cellularis et muscularis est tantum expansio retis nervorum et vasorum, oculo nudo imperceptibilium. Ergo in illis consistit parenchimatis nutritionis uniformitas. Sed vis vitalis legibus Zoochemicis modalitatis, identitatis, generificationis et individualisationis præsidens, varias textuum species efformat per novas sanguinis elaborationes , unde systemata organica plurima et fluida multiplicia procedunt; sic corpus humanum adultum constat ex materia mobili et fixa.

Systemata organica. Materia fixa elementaliter ex textu fibrillari quadruplici consistit, (*Secundum* Bichat , *anat. generale cum notis* Beclard.) sic fibra elementaris nervea, ex albumine constat; albuginea ex gelatinâ; muscularis ex fibrinâ et cellularis, ut albuginea , ex gelatinâ conflatur. Ergo transformationes fundamentales gelatinæ, albuminis ac fibrinæ necessario subit pulpa mucosa seu lympha et adeps , antequam ad cohæsionis gradum aliquem possit accedere, ut, ad texturam effor-

mandam concurrant. Deinde quadruplex hæc fibrillaris textura elementaris, ratione multiplicium combinationum et substantiarum salinarum inter fibras elementares, depositarum, abit in viginti et unum systemata organica, pro proprietatum ac effectuum diversitate. Hæc systemata ad pauciora possunt reduci et in generalia et particularia abeunt. Generalia seu communia sunt systema vasculare sanguineum lymphaticum, nerveum et cellulare, quæ per totam æconomiam existunt ac parenchima nutritionis efformant; particularia sunt cætera systemata localia, quæ ad generalem æconomiam tantum rationem remotam habent.

Methodus analytica ac synthetica demonstrat proprietates vitales differre pro quoque systemate, unde varietas facultatum organicarum. Ex illis systematibus organa conflata differunt, sicuti et eorum actio. Ex organis illis constant apparatus organici, pro quorum statu functiones correspondentes plus minusve bene exequuntur. A functionibus materia mobilis producitur, illisque correspondet atque omnis reduci potest ad digestionis, circulationis et secretionis fluida: unde sicuti dantur fluida compositionis et decompositionis, sic fluida alia sunt materialia, alia vero residua solidorum. Sed ad proprietates transeamus.

Proprietates vitales. Triplex generaliter proprietatum vitalium genus (Chaussier) nempe sensibilitas, contractilitas et caloricitas, admittitur, atqui contractilitas, varie modificata, est sola et unica proprietas vitæ vegetativæ sive organicæ; (*Secundum* Begin, *op. cit.*) nam sensibilitas distincta est in animalem et organicam, sed animalis est phænomenon vitæ sensiferæ, dum organica est insensibilis, sed sensibilitas insensibilis non minus est contradictoria, quam voluntas involuntaria, ergo sensibilitas non est proprietas texturæ organicæ. Caloricitas est phænomenon vel effectus virium vitalium, sive vitæ et functionum omnium, quia caloris manifestatio semper est in relatione cum gradu vitalitatis, vel cum reactionis vi aut vitæ et functionum intensitate. Ergo non est proprietas texturæ et adhuc minus functio. Ergo contractilitas est sola organismi nostri proprietas.

Contractilitatis actus variant pro textuum variatione, sic contractilitas dicta animalis et organica sensibilis non differunt, quia fibrinæ aut fibræ musculari, quæ omnium fibrarum maximè est contractilis, inhæret, contractilitas dicta organica insensibilis residet tam in fibrâ ex gelatinâ quam in istâ ex albumine conflatâ. Ergo contractilitas, unica texturæ proprietas vitalis, est generaliter triplex, pro naturâ triplicis materiæ animalis primitivæ, fibriumque elementarium, sed contractilitatis illius fundamentalis actus iterum denique variant pro varietate systematum tam generalium quam localium, pro compositione et complicatione illorum systematum unde differentia actionis textuum simplicium, organorum atque apparatuum. Pro-

prietates textuum hæ vitales non sunt in se activæ, sed passivæ, sunt capacitates et aptitudines, quarum alterabilitas constituit irritabilitatem, proprietates hæ pro statu organorum variant, vi vitali in actum ducuntur, qui intertinetur modificatoribus. En conceptus noster fundamentalis, qui certè sensu communi omnium judicum competentium confirmatur; en facultates organicæ, quæ chemiam vitalem sive nutritionem et vegetationem finaliter determinant.

Temperamenta. Ex fundamentali hac ratione ducuntur temperamenta, (*Secundum* Begin, *op. cit.*) nam systematum organicorum generalium major evolutio dat majorem activitatem, unde pro majori activitate systematis unius alteriusve generalis, temperamentum evolvitur, sed pro naturâ materiæ primitivæ, systemata generalia ad triplicem typum reducuntur, unde triplex temperamentum, sanguineum, nervosum et lymphaticum. Sanguineum multum fibrinæ elaborat et cum musculari coincidit, unde theoria adynamiæ; temperamentum nervosum ad albuminis et phlegmaticum ad gelatinæ elaborationem limitatur. Ergo ex prædispositione et activitate, unum aliudve temperamentum magis evolvitur, sic sanguificatio tarda in lymphaticis non dat debilitatem generalem sed muscularem, et experientia docet, pro majori activitate alicujus temperamenti, majorem fieri ejus sympathiam præcipuè sic dictam passivam, sic, apud sanguineum, gastro-enteritis dat febrim inflammatoriam, apud nervosum, ataxicam et apud lymphaticum, mucosam.

Idiosyncrasiæ. Cætera sic dicta temperamenta, (Begin, *op. cit.*) ut artriticum, biliarium, atrabiliarium, stomachicum, uterinum etc. sunt tantum idiosyncrasiæ, sive prædispositiones individuales vel potius locales, nam sicuti temperamentum est major evolutio alicujus systematis generalis, sic idiosyncrasia est major evolutio alicujus systematis localis, sive organi peculiaris, sic major evolutio fibro-articularis dat constitutionem artriticam, major evolutio hepatis dat biliosam, et venæportarum atrabilariam, hæc constitutio apparet ex dispositione capillarium venosarum, denique uteri major evolutio dat constitutionem sive idiosyncrasiam hystericam.

Continuo observamus idiosyncrasiam esse in affinitate cum temperamento, (Begin, *op. cit.*) sic idiosyncrasia gastrica exponit sanguineum inflammationi stomachi, nervosum neurosibus digestionis et lymphaticum degenerationibus organicis, ergo ideosyncrasiarum notio dat præscientiam nocuitatis et sympathisationis aliàs incognitam. Ergo oportet, attentionem nostram præcipuè convertamus ad studium temperamentorum ac idiosyncrasiarum, nam medium offerunt facile ac certum ad morbos caracterisandos et sanas therapentices regulas stabiliendas, de quibus nunc.

Pathologia. Ad morborum diagnisim et prognosim omnes sensus concurrere debent, et symptomatologia quintuplex præcipuè ponit medium ad morbos distinguendos

scilicet ; volumen , calorem , temperiem , positum et decubitum sine vel cum querelâ ; hæc habitum externum constituunt hæcque cum temperamentis nostris fundamentalibus quadrant, nam energia functionum correspondet evolutioni organorum, (*Secundum* Thomas , *physiol. des temper.*) atqui organa præcipua continentur separatim , triplici cavitate splanchnica , generaliter triplici temperamento , analogâ , ergo functionomia scopum suum obtinet et cranioscopia , thoracoscopia et abdominoscopia determinant etiam quatenùs, ut color etc. præcellentiam unius alteriusve temperamenti , hæc possunt esse æquali proportione, id est, mixta , sive offerre combinationes binarias.

Sicuti evidenter patet, temperamenta non esse deducenda ab humoribus , dum non amplius credimus corporis qualitatibus calidis , frigidis , siccis et humidis (*Hipp. et Galen.*) quamvis analogis , quadruplici veterum elemento , quatuor anni temporibus et vitæ ætatibus ; sic etiam nec morbi, nam fluidorum status dependent a solidis , quia ab illis elaborantur et ad scopum pelluntur , et si quandoque humores peccant, id tantum secondariè, nam probavi nullas esse congestiones sive stases merè passivas, dum sub inflammatione sanguis affluit ad partem irritatam , ut ad factam incisionem , (*Secundum* Bichat , *syst. capillaire.*) et ubi solida non possunt amplius agere moriuntur , et fluida leges chemicas subeunt; en gangrenæ phænomena : sicuti hæc localia sic etiam generalia phænomena obtinent, nam in febre adynamicâ , prostratio semper præcedit humorum secessum. Ergo non sunt morbi humorales primitivi, sic etiam ad cæterorum morborum symptomata non est manendum.

Methodus nosologia. Quandiu considerabantur morbi (Thomas, *op. cit.*) ut series arbitraria (grouppe) symptomatum, ut entia essentialia in se existentia independenter ab organis, accumulabantur infructuosè observationes et quisquis magnum symptomatum abstractivarum numerum memoriè tenebat, eruditissimus doctissimusque videbatur , sed nunc patet , quod, sicuti possumus habere magnam et paradoxalem eruditionem, cum defectu notionum fundamentalium , sic etiam magnam experientiam (routine) cum parva applicatione. Videre multos ægros (*Prospectus , dict. des sc. med.*) non est optimum medium ad scientiam obtinendam, nam medicus potest videre morbos plurimos et destitui observationis fructu , per methodi et studii defectum. Ergo quisque medicus debet praxim cum methodo combinare, si velit progredi, quod non obtinet experientiâ routinali , sed rationali per abstractionem , reunionem ac comparationem omnium circumstantiarum, secundum sensum communem.

Classificationes. Ex his concludere licet classificationes, generalisationes et abstractiones nosologicas non solum esse utiles, sed et necessarias, ad omnia phæ-

nomena, variis seculis observata, extricanda, distinguenda, colligenda et connectenda. Ergo, contra opinionem Broussais, classificationes non sunt rejiciendæ, quia in abstractionibus ontologiæ abusum possumus evitare, distinguendo, ut dictum est, duas abstractionum logicarum species, quarum una, quæ potest individualisari, in medecinâ obtinet. Quamvis symptomata morborum ita varient, (*Secundum* AUTHENAC, *defense contre* BROUSS.) ut generaliter raro series antea observatæ seriei absolutè similes observentur, attamen series illæ symptomatum non sunt arbitrariæ, sed generaliter modelatæ, pro generali observatione contagionum, epidemiarum, endemiarum, constitutionum annique temporum; dein in medecina a posse ad esse non valet consequentia, sic non debemus mille suppositiones possibiles allegare, sed ea præcipuè considerare quæ frequentius existunt, sicque tempore æstatis semper de complicatione gastrica cogitandum est. Denique classificatio fructum observationum non aufert, sed secundat, quia confusionem vincit et typum ostendit; Ergo doctrina medica descriptiva et practica sacra et inviolabilis stat. Ergo Culleni, Pinelii etc. determinationibus nosologicis et observationibus clinicis nitens, causam proximam solam, quæ est irritatio, sub auspiciis sensûs communis et methodi, propellere contendo nitorque.

IRRITATIONES. Intima ac reciproca est relatio proprietatum et virium vitalium, ut patebit, dum tamen viribus depressis irritabilitas generaliter etiam est major: sic debiles facilius morbis afficiuntur, atqui proprietates consistunt, ut vidimus, in contractilitate, cujus actus alterantur, vel exercitio immoderato et nimis protracto, ut in senibus, vel represso nimis, ut quiete, torpore etc. Ergo, ut exercitium moderatum, qui non amplius, uti nec irritabilitas, ad musculos limitatur, summam sanitatem constituit, sic immoderatum vel repressum necessario dat irritabilitatem omnium morborum fundamentalem. En causæ prædesponentes, quæ sub concurrentia causarum determinantium, producunt irritationem, quæ est morborum causa proxima, quæque, pro concepto nostro fundamentali, est primus gradus triplicis morborum classis fundamentalis, nempe, inflammationum, neurosium et morborum organicorum sive cachexiarum. Ergo nulla stasis ant congestio sine irritatione locali.

CONGESTIONES. Inflammationes, hemorrhagiæ, hydropes, indurationes etc., ut vidimus, nascuntur a congestionibus plus minusve activis, quæ non a sola debilitate proveniunt, quia textus tantum quantitatem sanguinis recipiunt, pro gradu ipsorum vitalitatis; nec a sola plethora, quia, absque prævia irritatione, impulsio sanguinis cæterorumque humorum non magis fieret ad unam, quam ad aliam partem, quia nulla daretur sympathia et cordis actio non sufficeret ad congestionem determinandam; unde, dum inflammationes, hemorrhagiæ etc. mutantur in artritidem, rheumatismum, herpetem,

hypochondriasim, histeriam, obstructionem cæterasque metastases et crises, id fit per translationem sympathicam irritationis et non per translationem et degenerationem sanguinis, ut dicunt humoristæ, nec per transformationem entitatis fictitiæ, ut ontologistæ.

Morbi organici semper nascuntur a speciali irritatione systematis lymphatici, quæ dum diu persistit in aliquo textu, ad eum lympham convocat, unde congestio lymphatica, induratio ac inflamatio specifica ut ulcerosa, sic fit squirrus, Cancer etc. et sicuti non datur diathesis fictitia in artritide, rheumatismo etc, sic etiam nulla in impetiginibus, ut herpete, nec in scrophulis, phthisi, luxatione spontanea, ozena, rachitismo etc. Ergo textus glandulares, ligamentosi, ossei etc. non lympham stagnantem conglomerant, sed per irritationem specificam, lympham alliciunt, unde tumor et suppuratio. In his alterantia, astringentia, tonica et specifica tantum mutant modum actionis sive irritationis et absorptionem determinant.

Neuroses sunt irritationes nervosæ, a quacumque causa, ut a plethora vel debititate, productæ, suntque animales vel organicæ pro nervorum divisione; animales sunt generales vel particulares; generales sunt cerebrales, unde generaliter major minorve sensibilitas, dolores, convulsiones et paralyses: particulares ad nervum alicujus sensûs limitantur. Organicæ per magnum sympathicum obtinentur, tales sunt cordis palpitationes, pulmonum asthmata, ventriculi et intestinorum spasmi, histeriæ ac hypochondriases, quarum irritationes, in statu acuto, per octavum par, cerebrum etiam participat. Nunc adhuc classis febrium determinanda remanet.

Febres. irritatio cujuscumque partis modificat actionem cordis, (Bichat, *ant. gen.*) quia cor recipit, ab omnibus corporis partibus, nervos, qui communicant irritationem omnium organorum. En phœnomenon fundamentale omnis pyrexiæ. quo posito, an febres omnes sic dictæ essentiales sunt pyrexiæ? certè quia febres essentiales evidentes sunt affectiones vitales, atqui nulla affectio vitalis persistere potest sine organicâ! Ergo contagium, miasma etc. ut inflamatio, producunt febrim, id, quod cum concepto nostro fundamentali quadrare patebit. Sed antequam ad earum examen transeam, quædam sunt præmittenda de virium vitalium naturâ ac realitate.

DE VI VITALI.

Pytagoras inter veteres optimè dixit vim vitalem esse animam mortalem, (*dict. des sc. med.*) ut ipsam distingueret ab anima rationali. Hippocrates, diogenes Lucretius etc. dicebant eam esse ignem, alii veteres productum solis; vis hæc est principium motorium Aristotelis, archæum Helmontii, anima Stahlii, impetum faciens Boerhaavii, excitabilitas Brownii, potentia nervosa et vis medicatrix quorumdam, tonicitas aliorum et principium vitale Barthezii.

Vis hæc est proprietatum vitalium sive texturæ organicæ principium, ab anima distinctum, estque per se existens energia, quæ potest latêre. Stahl suo tempore modo sentiens independentiam vitæ organicæ ab animali, illam hinc consuetudini, illinc degenerationi per peccatum Adami, ac proinde degradationi intelligentiæ magnoperè limitatæ et errori obnoxiæ, attribuit.

Vis vitalis exprimit nisum contra vires generales, estque principium reactionis, nutritionis, calorificationis ac propagationis, cujus abusus determinat enervationem, vis hæc reagens conservat ac renovat, per chemiam vitalem, texturam organicam. Vis hæc vitalis differt a proprietatibus, quippe quæ texturæ inhæreant, dum vis vitalis ei præsidet: sic ad Halléi divisionem accedens, voco proprietates, qualitates essentiales, et vires, potentias relativas; sic proprietates sunt qualitates passivæ, ut contractilitas, extensio, porositas etc. dum vires sunt entia activa attractionem, affinitatem, animalisationem sive chemiam vitalem determinantia.

Vita, vegetatio, attractio, affinitas etc. non sunt entia realia, (*Secundum* Adelon, *physiol. de l'homme.*) ut putabant olim, sed sunt expressiones abstractivæ, sunt x algebraïca alicujus problematis. Abstractiones hæ et generalisationes summum scientiæ constituunt; abstractiones debent omninò quadrare, ut dictum est, cum entium realium actione et phœnomenis, quorum semper sunt expressio. Vis autem vitalis non est suppositio sive abstractio aut resultans organisationis, dum est fluidum organisationi essentialiter præexistens, quia, sicuti omnis motûs et demensionis variatio, (*Secundum* Cuvier, *regne animal.*) quâ solida ad statum fluidum et elasticum aut viceversâ transeunt et operationes chemicæ peraguntur, fit per affluxum sive recessum fluidi alicujus imponderabilis, ut in inflammationibus, detonationibus etc., sic etiam omnis chemia vitalis et vegetatio atque motus omnis organicus determinantur per vim vitalem sive per fluidum nerveum.

Conductrix sola fluidi nervii videtur esse materia medullaris nervosa, dum cætera organa ipsum cohibent, ut vitrum electricitatem, videturque secerni a sanguine, quia aliàs non tot vasis instruerentur nervi. Nonne existat in spatio, ut lumen, caloricum etc. et in animalibus evolvatur (la Marck.) est possibile? sit; tantum unus datur modus personificandi vim vitalem, id est ipsam reducendo ad classem fluidorum imponderabilium, (*Secundum* Adelon, *op. cit.*) hæc analogia adhuc quatenus suffulta est per fluidum galvanicum, quod nervis vim quamdam dat post mortem. Denique sicuti physiologi, sic etiam physici omnia phœnomena ad motorium generale reducere contendunt: nam galvanismus et magnetismus modo cum electricitate ligantur. Ergo vim vitalem realiter et personaliter existere nullus inficias ire potest, ad cujus alterabilitatem nunc transeo.

Vitalismus. Vim vitalem eminenter et primitivè affici posse probatur, tum a priori, sic pro natura modificatorum, sive aeris, fluidum electricum plus minusve conductibile reddetur, cur etiam fluidum nerveum non posset alterari influentiâ substantiarum externarum? tum a posteriori, ut observatur, sed, non sola afficitur vis vitalis, nam ex natura facultatis cujuscumque fluit, connexionem existere intimam ac reciprocam, inter ejus concurrentia, ergo in morbo symptomata alia sine aliis non existunt et prostratio ac irritatio simul existere possunt. Dum, quæcumque sit debilitas sive prostratio, irritatio continuo potest semper et ad ultimam existentiam affluxum fluidi nervei, sicuti et sanguinis, ad partem irritatam elicere. Vires primitivè affici experientiâ omnium seculorum probat et febres essentiales hucusque male determinatæ magismagisque id confirmant; de his nunc.

Febres sic dictæ essentiales. Febris angiotenica (*Secundum* Authenac, *défense. des med. franç.*) sive synochodes essentialis est major reactio sive heretismus systematis præcipuè capillaris sanguiferi, cujus triplex gradus est, unde ephemera, protracta ac inflammatoria.

Febris meningo-gastrica sive biliosa essentialis consistit in heretismo secretionis biliaris, hoc probant epidemiæ biliosæ omnium seculorum, ubi ægri torrentem bilis evacuabant, dum illis evacuationibus cedebat morbus, qui sanguinis missione aggravabatur, hoc confirmant facta Tissoti et Stollii, id etiam ratione et analogiâ stabilitur, quia omnes secretiones specificâ irritatione possunt peccare per excessum etiam sub maximâ debilitate. Ab alterâ parte febris biliosa potest jungi cum inflammatoria, unde ardens seu causus in climato calido.

Febris adenomeningea est mucosa essentialis, quæ sæpè est epidemica et distinguitur a lentâ nervosâ, verminosa et gastro-enteritide.

Febris ataxica sive maligna est essentialis nervosa, quæ est vel contagiosa vel non,

primo typhus, secundo simplex; hæc distinguitur a pituitosâ sive catarrhali, a labe dorsali, ab hectica, a cerebrali etc.; typhus est moderatus vel petechialis, ejus prima periodus est inflammatoria generaliter, secunda nervosa et tertia adynamica, sicuti sæpè complicatur gastritide, encephalitide, febre intermittente et pleuritide. Ephemeræ britannicæ (la suette) unica spes in sudore provocato, et febris puerperalis potest esse complicatio affectionis localis cum essentiali sic dicta.

Febris adynamica sive putrida essentialis consistit vel in magna prostratione, unde subitus humorum secessus, vel in eretismo omnis secretionis, unde putriditas et degeneratio. Triplex est ejus species, prima nervoso-putrida a typho petechiali carcerum, navium et nosocomiorum, secunda inflamatorio-putrida et tertia inflamatorio-bilioso-putrida a febri ardente. Hæc differt a gastro-adynamicâ tropicis endemicâ, quæ est typhus icterodes, seu febris flava et causus americana, omnes etiam tres habent periodos.

Febris adenonervosa est typhus essentialis, in oriente cum furunculis, existens, hæc potest esse endemica, epidemica et contagiosa, ac sæpe, ut venenum, pestis necat.

Febres intermittentes sic dictæ essentiales classem specialem constituunt et abeunt in vernales et autumnales ratione temporis anni, in benignas et malignas, ratione indolis, in sporadicas, endemicas et epidemicas, ratione, loci et numeri, in quotidianas, tertianas et quartanas, ratione paroxismorum, denique in regulares et anomalas, atione normæ; abnormitates consistunt in anteponentia, postponentia et subintrantia, dein sunt subcontinuæ, larvatæ, hemitritææ et perniciosæ.

Febris remittens sec dicta essentialis, secundum Boerhaavium et Stollium, est composita ex continua et intermittente, talis est semitertiana sive hemitritæa simplex, quæ sæpe fit perniciosa.

Febres exanthematicæ contagiosæ, nempe, variolosa, morbillosa et scarlatinosa, sunt etiam affectiones vitales, quamvis, ex symptomatum examine, videantur sæpe incipere a gastro-enteritide, dum irritamentum contagiosum interne incipiens sympathice ad cutim fertur.

En febres sic dictæ essentiales, quæ semper sunt pyrexiæ, quia ab affectione locali nascuntur, sed primitivè sunt generaliter vitales et constitutionales, si a contagio, epidemia aut endemia procedunt.

Gastro-enteritis pyrexialis. Plurimas esse irritationes inflammatorias menbranæ mucosæ canalis intestinalis, quæ febres sic dictas essentiales omnino imitantur, ex ipsorum symptomatum observatione patet, atque per autopsias cadavericas confirmatur.

Gastro-enteritis sive phlegmo intestinalis sine maguo dolore ac sine magno bilis ac mucositatis affluxu omnia symptomata febris synochodes refert; hæc est sæpe præsumptarum plurium febrium essentialium primus gradus; dumque intensa est vocatur ardens.

Febris gastrica sive biliosa sæpe dicitur, ubi fomes gastricus producitur ab irritatione stomachi, quæ affluxum et assensum bilis provocat.

Febris mucosa est sæpe gastrico-catarrhalis apud lymphaticos.

Febris putrida potest esse gastro-enteritis, cum complicatione adynamiæ vel irritationis specialis systematis glandularis, unde perversæ secretiones et fætiditas.

Febris maligna sive ataxica sæpissimè est gastro-enteritis cum inflammatione sympathica cerebri.

Febris adenonervosa, ut typhus nostras, pestis orientalis, flavæ americanæ et cholera indica possunt esse gastro-enteritides specificæ et intensiores a majori irrabilitate, per calorem et emanationem putridam absorptam, cum complicatione prostrationis secundariæ, cum formatione antracum et bubonum, cum nausea, vomitu, colica ac inflammatione secundaria hèpatis, pulmonum et cerebri.

Sicuti artritides, rheumatisma etc. mobiles, metastatici, ambulantes et intermittes existunt, sic etiam febres intermittentes sæpe sunt gastro-enteritides, cum vel sine fomite, periodicæ, dum omnia earum symtomata adsunt in quocumque paroxismo acfebris cujuscumque continuæ scaturigines præbet. Febris hæc intermittens dicitur simplex, dum irritatio ad eadem organa manifeste redit, dicitur larvata, cum irritatio inflammatoria et congestio sympathica ad pulmones, cerebrum etc. habetur, decitur perniciosa, dum congestiones sunt intensæ, denique remittens esse potest, dum irritatio non integrè transfertur ad cutim aliasque partes.

En pyrexiæ gastro-intestinales, quæ a febribus sic dictis essentialibus vix differant, dum sunt contrariæ, ergo diagnosis, prognosis et cura febrium tam continuarum quam intermittentium larvatarum, hæmetritearum atque perniciosarum sunt difficilimæ summique momenti et denatant artem medici, qui, per hoc, est vir Deo similis dicunt antiqui.

Broussais, febres sic dictas essentiales non radicitus evellens, nullam modificationem fundamentalem sed solummodo formalem, (*Secundum* Authenac, *defense*); illi induxit, nam dicere, signa excitationis vel debilitatis, secundum influentiam sympathicam organi congestionarii in musculos, cor etc., dependere a differentia sensibilitatis organorum parenchimatosorum atque membranosorum, quia in organo parenchimatoso minus sensibili, ut pulmones, cerebrum etc., congestio est sine dolore (apoplexia et pneumonia) ac proinde pulsus plenus ac fortis; in organo

verò membranoso omnino sensibili, ut membrana mucosa et serosa, dolor cohibet irradiationes sympathicas spasmum generalem (gastritis, peritonitis etc.) ac proinde pulsus est parvus et debilis, hoc dicere, inquam, est tantum possibilitatem allegare, febres sic posse differre, atque differentia illa non ab organis solis est petenda, quia prostratio non est semper secundaria, dum vires vitales primitivè posse affici probatur, ergo Broussæi generalisatio, circa febres, ruit.

Sicuti (Authenac. *Defense.*) Zimmermann, medicus etiam summus, vitio hepatis laborans in omnibus morbis credebat videre symptoma simile aliquod, ut ipse experiebatur, sic etiam Broussais, omnes febres essentiales ad gastro-enteritidem reducens, videtur fortiter laborasse gastro-enteritide, quæ nunc chronica facta dyspepsiam et melancholiam manifestat, unde ejus præoccupatio de gastro-enteritide: ergo, dum febris adest, non statim est proclamandum; est irritatio hujus illius partis, est gastro-enteritis, cujus irraditiones febrim producunt, vel, cum Pringelio est affectio nervoso-vitalis, ubi vis vitalis propius concentratur in gangliis nervosis, quorum detonatio in cor febrim determinat, sed examinandum est, pro symptomatibus et prœcipuè pro causis tam prædisponentibus qua determinantibus quænam sit primaria affectio, quæ causa proxima stabilita cum sensu communi et methodo sine quibus nullum signum morbi aptè coloratum in labyrintho hoc tenebroso, possimus distinguere. Ergo per hodeernam morborum decompositionen, ad seriem symptomatum febrium cæterorumque morborum essentialem non amplius limitamur.

Methodus analytica in morbis. Omnis analyseos morborum fundamentum est historia morborum, sic vera medicina componitur ex successivâ factorum ac rationum, ex omnibus omnium temporum doctrinis, collectorum comparatione. Sic hausi conceptnm meum facultatum, pro quo fundamentaliter morbos distinguo in vitales et organicos. Organici, pro distinctione systematum immortalis Bichat., sunt generales vel locales. Omnes textus simplices Bichat systematibus generalibus compositi, causis morbiferis manentibus iisdem, pro temperamentis, varium processum morbificum habebunt, quid? quod varias ac differentes sympathias producant (Begin *op. cit.*), unde benè distinguenda sunt remedia pro naturâ, sede et causis: sic irritatio gastrica hinc dissipatur antiphlogisticis, vel alterantibus, illinc tonicis et alibi antispasmodicis; et talis irritatio, quæ cederet emeticis augeretur vino. Unde benè distinguenda sunt temperamenta et omnia concurrentia facultatum vitalium, ut, detectâ morbinaturâ, facultas quæcumque alterata ad typum et modum naturalem reducatur.

Sicuti, in physiologicis, ad apparatus et functiones, sic etiam in pathologicis

ad classificationes Naturalistarum et Botanicorum non amplias limitamur; sed in caracterisandis morbis, methodum chemicam amplectimur, fructus tamen prædecessorum conservantes. Studium statûs elementaris cujuscumque facultatis est basis totius medecinæ, (*dict. des sc. med. art. element.*) raro status illi morbosi elementares soli existunt, sed plerumque ita inter se componuntur et complicantur, ut combinationes binarias, ternarias, quaternarias, quinarias etc. efforment: sic quatuor quinque vel sex elementa sæpe afficiuntur, in inflammationibus gravibus febrilibus, talis est status biliosus seu gastricus, eretismus febrilis, prostratio, cephalitis, pleuritis, intermittentia, etc; quodque elementum affectum, pro gradu, antidota, sive remedia sua specifica habet.

In combinatione elementorum affectorum (*Dict. des sc. med. art. element.*) leges generales clinicæ relationum reciprocarum consistunt in eo, quod 1.° elementa affecta possint coexistere sine relatione intima, sic morbus chronicus et status saburralis possunt existere et tractari independenter 2.° elementum unum potest esse causa alterius, sic, in peripneumonia gastrica sive biliosâ, unum vel aliud potest esse primarium et cura analoga est instituenda, sic in epidemia sarconensi pleuritis biliosa incipiens per magnum dolorem avortebat per opium, ubi, post tertium diem, inflammatione existente, opium erat nocivum. 3.° Elementa affecta possnnt habere intensitatem æqualem et simultaneam, sicuti et influentiam reciprocam unius in aliud, sic quædam peripneumoniæ gastricæ debent de fronte et simultaneè reprimi per sanguinis missionem, emeticum etc.

Hæc omnia omnino congruunt cum curâ nostrâ heroïca, nam medicus non debet solummodo agere, ut philosophus, sed etiam ut artista, æger non vult solummodo observari, sed et etiam sanari: sic die 17 januarii 1825. (*prælectiones clinicæ nosocomiales*) nosocomium intravit filia 15. annorum, temperamenti mixti et a 4. diebus synocha typhosa laborans. statim venæsectio et potus antiphlogisticus indicantur et administratur ægra. 2.° die, lingua sicca et positus plumbeus; julapium obvolvens. 3.° die, lingua subnigra, febris eadem pergere piano, quia debet suas periodos percurrere. 4.° die, somnus comatosus cum tussi mala ex circumstantiis, febris intermittens, sanguisugæ capiti et pectori, ac 14. gr. sulph. quin: 5.° die, semper plumbea, constipatio ac transpiratio suppressa, arnica cum camphora et nitro. 6.° et 7.° die melius, pergere, 8.° die urina minus tincta, sed querelæ, agitationes pessimæ et diarrhea, cortex cum spiritu mindereri 9.° die, omnia symptomata imminuta, decoctum corticis. 10.° die, fere convalescit, pergere. 11.° die, semper quærula sine dolore locali, febre exasperatâ, valeriana cum camphora et nitro et sinapismi ad pedes, 12.° die, febris intermittens cum

statu anasarcæ, sulphas quin: cum opio. 13.° die, delirium, visûs immobilitas; pergere diætâ tonicâ. 14.° pergere 15.° die, aphonia mala, incontinentia urinæ et diarrhæa, pulsus vix sensibilis, mucilaginosa cum opio et sulphas. quin. 16.° die pulsus evolutus, sed anxietas, vesicans pectori et pergere, vix spes 17.° die pergere. 18.° die, alvi incontinentia, sed pulsus mollior et respiratio liberior, somnus bonus, pergere 19.° die ædema pedum, pergere, aliqua spes. 20.° die, febris intermittens, sulphas quin: cum opio. Die 21, 22 et 23.° pergere, quia corticem non suffert. 24.° die, decubitus judicans, pergere, 25.° die urina sedimentosa, decoct. cort. vinosum. 26.° die, melius, pergere. 27.° die, pulsus mollis non febrilis bonus pergere 28.° die et dein convalescentia.

FINIS PARTIS ALTERIUS.

POSITIONES.

1. Rerum çertitudinem non intelligimus sed admittimus.

2. Sensus communis competens tantum valet.

3. Facultas consistit in triplici concurrentia virium, medii materialis et modificatorum.

4. Vita est series phænomenorum, quæ in corporibus organicis, per vires et modificatores, tempore quodam intertinentur.

5. Vita facultatesque vitales sunt duplicis generis, unde motilitas et sensibilitas.

6. Idæa est mera rei repræsentatio in mente facta.

7. Facultates intellectuales ideologorum sunt tantum abstractivæ.

8. Cerebrum non est causa, sed instrumentum intelligentiæ.

9. Facultates fundamentales non sunt capacitas, sed realiter activæ.

10. Quæque facultas fundamentalis habet sua attributa generalia, gradus excitationis et motivos.

11. Ex istarum facultatum usu proprio immediate nascitur voluntas, libertas, virtus et vitium.

12. Nulla medicina domestica et empyrica scopum obtinet.

13. Humorismus tam pneumaticus, quam mechanicus est erroneus.

14. Circulatio magis dependet ab actione systematum capillarium, quam ab actione cordis et arteriarum.

15. Nulla stasis aut congestio est merè passiva.

16. Solidismus est seductorius, dum vita non est capacitas sed facultas.

17. Brownii error consistit in confusione virium et proprietatum vitalium.

18. Brown male determinat debilitatem.

19. Systemata organica sive facultates vitales sunt basis omnis medicinæ.

20. Contractilitas est sola et unica proprietas vitalis.

21. Contractilitas non est activa qualitas, sed passiva, sive capacitas.

22. Temperamenta, pro materia primitiva organica et pro systematum generalium differentia, sunt triplicia et cætera sic dicta temperamenta sunt tantum idiosyncrasiæ.

23. Abstractio est fundamentum omnis doctrinæ, quia generalisatio a scientia non differt.

24. Contra opinionem Broussais, sine methodo nosologica, videmus multos ægros absque observationis fructu.

25. Virium alteratio et texturæ irritatio sunt causa proxima omnium morborum.

26. Omnis congestio, ut inflammatio, hemorrhagia, induratio etc. nascitur ab irritatione.

27. Vis vitalis est energia in se existens, quæ differt ab anima, a proprietatibus vitalibus et a structurâ organicâ.

28. Vis vitalis, ut personificetur, debet ad classem substantiarum imponderabilium referri.

29. Febres sic dictas essentiales hucusque malè determinatas fuisse probatur tam a priori, id est, ex facultatum naturâ, quam a posteriori, id est, ex observatione.

30. In caracterisandis morbis non amplius ad classificationes nosologicas, manemus, sed methodo merè chemica procedimus, et quodque elementum morbidum, pro circumstantiis, specificum suum remedium habet.

Vidi et nihil reperi quod art. 56
legis academ. adversetur.
F. E. VERBEECK,
F. m. h. t. Dec.